

XXI. Civitella. Olevano.

3437 'reperta fuit Civitellae' SVAR., *trovossi in Civitella degli Ernici* MAR. nescio num ex schedis Suaresii tunc magis integris; cogitavit Marini de eo vico qui hodie dicitur *Civitella S. Sisto*. — S. I. FABR. — Veronae ORELLI, errore.

IVLIA · ATHENAIS · MAG
BONAE · DEAE · SEVINAЕ · FECIT
PAVIMENTVM · ET · SEDES ET OFFICINAM
TECTA EXTENDIT ET TEGVLAS QVAE
5 MINVS ERANT DE SVO REPOSVIT ET
ARAM AENEAM QQ · V · S ... BVS P · CXC
ET FERRO INCLVSO D K IVN
C · CAL · · · · · ONE · · · · · NO COS

Semel tantum descripta est, et quidem male et imperfecte; hoc autem apographum non ipsum habemus, sed ita ut 'interpretatus' est et 'supplevit' Suaresius Vat. 9140 f. 273 (inde nonnulla attulit Marini Arv. p. 320 not. 83); paulo purius videtur esse exemplum quod proponit Fabretti 696, 173 auctore non laudato (inde Orelli n. 1520).

1 MAG Fabr., MAGNA SACERDOS Suar. — 2 'SEVNA vel SEVINAЕ' Suares. (sed neutrum ut lectum in lapide, verum pro supplemento), SEVINAЕ Fabr. — 3 SEDES · ET · OFFICINAM Suar., SE...SS-NARI Fabr. — 5 DESVO om., REFECIT (PRO REPOSVIT) Suar. — 6 QQ · V · S ... BVS Fabr., CV SVIS PEDIBVS Suar.; fortasse *q(uo)q(uo) v(ersus) s[edi]bus p(edum) CXC et ferro inclus[it]*. — 7 LI... (pro ET) Fabr. — D · EVM · K · IVNII Fabr., DICAVIT · SACRATVM · X · IVNII, in margine autem DKALIVN Suar. — 8 dedi exemplum Fabrettii, qui refert ad annum p. C. 111 et consules C. Calpurnium Pisonem et M. Vettium Bolanum; Suaresius sic NERONE TERT · ET · M · VAL · MESSALA · CORVINO · COSS (a. p. C. 59).

3438 tabula magna lapidis indigenae qua tamquam mensa utuntur, litteris bonis aevi circiter liberae rei publicae exeuntis. Rep. loco dicto Belvedere III mil. pass. ab Olevano (Paglianum versus) ABEK. In vinea quae dicitur *Belvedere* (nunc Ioannis Pistelli) hodie quoque extat.

M · MVNATVLEIVS · M · F
ANI · MARCELLVS
trib. mil. A · POPVLO

M · MVNATVLEIVS
C · F · ANI · MONTANVS
PATER

Descripserunt Henzen et nuper Stevenson. Abeken *bull. dell' Inst.* 1841 p. 53 (inde Henzen syll. n. 6762) et apud Borghesium opp. 7 p. 347.

a 3 supplevit Borghesius.

Inscriptionem sepulcralem eodem loco repertam mox periisse, sed apographum extare, narrat Abeken l. c.

3439 fistula plumbea sub Olevano in vinea Pratesi dicta Villamagna.

TI CLAVDI LIVIANI PR PR

IXX

Descripsit Henzen et edidit *bull. dell' Inst.* 1866 p. 69 (inde Lanciani syll. aq. n. 430).

Eiusdem Liviani praefecti praetorio Traiani (Dio 68, 9; vita Hadriani c. 4, ubi pro *Liviani Turbonis* legendum esse *Liviani et Turbonis* vidit Hirschfeld *Verwaltungsgeschichte* p. 224) habemus lapides in urbe Roma repertos Corp. VI n. 718 et 1604.

3440 Olibani in arca marmorea SVAR. (Barb.); *cassa marmorea assai grande, trovata nella terra di Olevano diocesi di Palestrina in una vigna, l'anno 1650* SVAR. (Vat.).

AVRELIAE · A
NATOLE · SAN
CTISSIMAE
AD Q · CASTIS
5 SIMAE · FEMI
NAE · CVM · QVA
VIXIT · ANNIS
XXXII · MENS
BVS · X · DIE · I · SED
10 ET · SIBI · PHOSPH
ORVS · AVGVSTI · LIB ·
· · · · ·

Servavit Suaresius cod. Barb. 30, 182 f. 20, cod. Vat. 9140 f. 269, cui 'communicavit eques Baldus'. Fabretti 253, 48 (inde Vulpi Lat. 9 p. 195) 'e schedis Barberinis'; Malvasia 526 'e schedis Fabretti'.

Dedi ad codicem Barb.; Vaticanus in fine (v. 10 seq.) habet: PHOSPHORVS AVGVSTVS LIB | FECIT.

3441 tabula marmorea rep. nel comune di Olevano Romano, tra i ruderi dell'antico castello di Pusano; antea stava affissa nella chiesa oggi diruta del castello di Pusano.

D M
SESTIDIAE RVFINAE
COIVGI · PIENTIS
SIME QVE VIXIT SV
5 PER OBIVTM VIBI ·
APRONIANI FILI DVLCIS
SIMI MENSIBVS IIII ·
ET DIEBVS VIII CARIS
sic SIMISSIMISSIMIS COIV
10 GI · ET · FILIO · VIBIVS
sic CEMELLIIVS

Descripsit Stevenson. Ad ectypum missum a Vinc. Cicerchia edita est *not. degli scavi 1884* p. 427.

XXII. AFIL(AE?). (Affile.)

Vicum, qui hodie dicitur *Affile*, et extitisse et eodem nomine appellatum esse aetate Romana ostendit inscriptio n. 3442 posita ibi L. Afilano L. f. An. Provinciali a L. Afilano Verecundo; hunc enim fuisse libertum rei publicae eius loci, ubi inscriptio stetit, illum liberti filium paene certum est. Praeterea discimus ex hac inscriptione et ex eis quae una extant n. 3443—3445 *Affile* aetate Romana habuisse suam rempublicam, fuisse ibi ordinem (n. 3442) sive decuriones (n. 3444 v. 6; l. d. d. n. 3442. 3444. 3445), praeterea se viros Augustales (n. 3443 cf. n. 3444 v. 6). Tribus Afilanorum, si in hac re auctoritas est unicae quae tribum dedit inscriptioni n. 3442, fuit Aniensis. Scriptorum antiquorum Afil(as?) nemo memorat praeter librum coloniarum p. 230, ubi inter civitates regionis Campaniae recensetur *Afile oppidum*, additur: *lege Sempronia in centuriis et in lacineis ager eius est adsignatus, iter populo non debetur*; fortasse etiam Plinius, si re vera apud eum hist. nat. 3, 63 inter civitates regionis primae Italiae recensentur *Afilani*. Medio aevo

Affile vulgo dicebatur *Effide*¹⁾, quamquam nec vetus nomen plane in oblivionem abiit²⁾. — Ceterum Afilani, medii siti inter priscos Latinos et Hernicos, fortasse meliore iure cum his contribui debebant quam cum illis.

Inscriptionibus Afilanis adiunxi fistulam plumbeam n. 3447 repertam medio fere intervallo inter *Affile* et Trevi inter rudera dicta *palazzo di Nerone*³⁾.

1) Ita iam Gregorius Magnus dial. lib. II c. 4 (var. lect. *Enfide, Fide*). — Ligorio (ad inscriptionem n. 3442) locus dicitur *File*.

2) Certe inter fundos locatos a Gregorio II pontifice (a. 715—731), quarum locationum notitiam servavit Deusdedit cardinalis in collectione canonum (Jaffé-Ewald Reg. pont. n. 2220), recensetur fundus aliquis positus in *Afile* (non *Appia*, quod merum errorem esse editionis Martinucci testatur Stevensonius).

3) Titulum repertum Serrone (inter *Affile* et *Piglio*) edidit Mommsen Corp. X, 5959.